

trio, hos probans, illos improbens per quos refutabatur. Hæc ferè sunt superioris hæreseos, & pessimæ pestis tanquam larum capita nefanda & præcipua.

## CAP. XXXIII.

Melchisedechiani quid senserint.



*Melchisedechiani Melchisedech sacerdotem Dei excelsi non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.*

<sup>I</sup> *Melchisedechiani.*) Mirum est nihil tam sanctè à Dei Spiritu dictum esse quo non Satan abusus sit ad errores eosque grauissimos confingendos & tuendos. Nihil ad Christi dignitatem & sacerdotium illud singulare commendandum aptius dici potuit, quàm quod Apostolus ad Hebræos cap. 7. ex Psalm. 110. de Melchisedech affert. Hoc ipsum ita postea peruertit Satan, vt inde pestem corruptelamque fidei nostræ maximum excuderet, & hæresin hanc inueheret, quæ Melchisedechianorum appellata est à materia, circa quam deliri homines isti & insani errant, non autem ab illius auctore. Fuit enim, vt Tertullianus & Theodoret. lib. 2. Hæretic. fabular. tradunt, huius erroris primus auctor & parens Theodotus quidam argentarius Theodoti superioris & coriarij, de quo iam diximus, discipulus & sectator: qui tamen nec cum suo præceptore, nec cum Apollonide & Hermippo condiscipulis, in doctrina consentit, ita mendacij via est multiplex & tortuosa. Nec etiam fuerunt inter se concordēs Artemonicæ hæreseos hæredes, vt ait Euseb. lib. 5. cap. 28. Ergo